

*Tract. XVII. De sexto,*  
naturaliter magis verecunda, honesta,  
occlusæ, & a matribus custoditæ, ita  
ut vix solæ in publicum egrediantur. Con-  
trariarum autem accidit viris, qui in flo-  
re adolescentiæ libere exeunt ad scho-  
las, studia, commercia, & alia negotia,  
& ministeria: qua ratione etiam vide-  
tur nobis plures foeminas esse salvandas,  
quam viros; ipsæ enim vacant ab om-  
nibus officiis publicis, a militia, & aliis  
ministeriis, quæ viris sunt occasiones  
peccandi, & se perdendi.

### P У Н К Т У М III.

#### De amissione virginittatis.

17. Inq. 1. Quot modis amittatur vir-  
tutis virginittatis irreparabiliter? R. in foe-  
mina amitti per voluntariam claustrum vir-  
ginalis violationem, sive fiat copula, si-  
ve tactibus propriis, vel alienis, semel  
quod sint libidinosi. Ita D. Thom. 2. 2.  
q. 152. art. 1. ad 4. quia hæc violatio  
est, quæ reparari non valet, licet cetera  
per veram poenitentiam reparari possint.  
Alii ajunt amitti etiam per voluntariam  
seminis resolutionem, licet absit  
ruptio claustrum virginittatis, eo quod jam  
adest experientia veneræ delectationis. Ve-  
rum si dicta resolutio accidat sine ulla  
culpa, sive in somnis, sive in vigilia ni-  
hil officit virginittati, nec naturali, nec  
virtuosæ. Hoc est certum, primum vero  
non adeo compertum; quia foemina quan-  
diu conservat signaculum pudoris, nequit  
dici corrupta, sed integra integritate cor-  
porali, & naturali, a qua potissimum ap-  
pellatur virgo.

18. In viro amittitur virginittas per vo-  
luntariam seminis resolutionem, quia hæc  
est in viro consummata libido, & alias ca-  
ret signaculo virginittatis, quo gaudet fe-  
mina.

19. Objic. Vir, aut foemina, qui ha-  
buerunt copulam, licet absit ruptio cla-  
ustrum virginittatis in ista, & pollutio in il-  
lo, experti sunt libidinem: ergo non sunt  
virgines. R. neg. consequens. quia in dicto  
casu habuerunt quidem tactus impudicos,  
sed non tales, ut per eos amittatur irre-  
parabiliter virginittas.

20. Dices: ergo. Idem tenendum est  
de illis, licet coitui sodomitico vacent.

### Cap. II. De vitiis castitati oppositis.

R. conc. consequens. quia nec in illo casu  
adest aliquid, quod per veram poeniten-  
tiam nequeat reparari, supposito, quod  
absit pollutio in viro, & violatio clau-  
strum virginittatis in foemina. Virgo vi oppres-  
sa non amittit virtutem virginittatis: nec  
vir, qui involuntarie pollutionem patit-  
tur.

21. Unde talis virgo potest accipere  
velum virginittatis olim frequentius usita-  
tum, dummodo sit occulta violatio vere  
involuntaria. Si autem voluntarie, esto  
occulte corrupta sit, nequit accipere vel-  
lum sacram absque dispensatione. Nec  
absque ea decet, quod gaudeat Præla-  
tura in cenobio virginum, licet si bona  
fide eligatur, non teneatur prodere suum  
defectum.

22. Inq. 2. Qualiter amittatur virtus  
virginittatis reparabiliter? R. 1. amitti  
per intentionem nubendi. 2. per consen-  
sum in actum turpem. 3. per delectatio-  
nem morosam. 4. per tactus turpes sine  
seminatione, & copula. 5. omnibus mo-  
dis, quibus amittitur castitas absque dic-  
ta seminatione, & copula juxta supra  
stabilita: quia in præfatis casibus con-  
servatur illa integritas corporis, nec  
adest libido consummata: & solum viola-  
tur propositum virginittatis, quod per pe-  
nitentiam valet reparari.

### C A P U T II.

#### De vitiis castitati oppositis.

### P У Н К Т У М I.

#### De luxuria.

23. Inq. 1. Quid est luxuria? R. est  
usus, vel appetitus inordinatus venereo-  
rum. Quamvis enim nomen luxurie pro  
qualibet superfluitate, & excessu intelli-  
gi possit, usu tamen communi pro li-  
bidine, & vitio venereo accipitur. Dici-  
tur usus, vel appetitus inordinatus, quia  
si venerea exercentur juxta ordinem ra-  
tionis, licita sunt, sicut usus ciborum  
inordinatus est malus, bonus vero secun-  
dum rationis ordinem, ut conducit ad vi-  
tæ conservationem, ita usus venereorum  
ordinatus in matrimonio est bonus, &  
conducit ad speciei conservationem.

### Cap. II. De vitiis castitati oppositis.

24. Inq. 2. Quale sit peccatum luxu-  
rie? R. esse peccatum mortale ex gene-  
re suo, & in tota sua latitudine non ad-  
mittens parvitatem materiæ. Primum pro-  
batur ex Apost. ad Galatas 5. *Qui talia  
agunt, regnum Dei non possidebunt.* Prob.  
etiam ratione: quia usus venereorum ordi-  
natur a natura ad propagationem ge-  
neris humani: ergo inversio hujus ordi-  
nis ex genere suo est gravis, cum op-  
ponatur bono communi. Quod peccatum  
luxurie parvitatem materiæ non admit-  
tat, constat ex dicendis. Vitium istud  
adeo amplam exercet tyrannidem in mun-  
do, ut olim provocaverit iram Dei ad  
illud puniendum diluvio universali aqua;  
deinde peculiari ignis supra Pentapolim;  
denique juxta S. Remigium *propter hoc  
vitium, exceptis parvulis, pauci salvoan-  
tur.* Omni igitur cura fugiendum est.

25. Inq. 3. An luxuria sit vitium ca-  
pitale, & quot habeat filias? R. affirm.  
quia, ut diximus, vitium capitale est  
illud, a quo tamquam a capite alia ori-  
untur: sed hujusmodi est luxuria: imo  
facile princeps inter omnia vitia capita-  
lia propter plurima peccata ab ea pro-  
manantia; ergo est vitium capitale. Oc-  
to filie numerantur luxurie: *cacitas  
mentis, inconsideratio, præcipitatio, in-  
constantia, amor sui, odium Dei, affectus  
præsentis sæculi, & horror futuri.*  
Ex quibus quatuor priora lædunt intel-  
lectum, posteriora voluntatem. Luxuria  
namque non solum deordinat volunta-  
tem, sed etiam obtenebrat intellectum:  
unde causat *cacitatem mentis* in intelli-  
gentia ad veram apprehensionem finis,  
seu boni, *cacitatem* in consilio, *præci-  
pitationem* in iudicio, & *inconstantiam*  
in proposito, seu in rationis præcepto.  
Ex quo huic vitio inservientes videmus,  
atque conspiciamus cæcos in consiliis; præ-  
cipites, inconsideratos, inconstantesque  
in omni bono. Perturbat etiam volunta-  
tem, ejusque actus, destruent *intentionem  
finis* amore sui: unde gignit *odium  
Dei*, qui voluptates carnis prohibet. De-  
inde invertit electionem, inserens *amo-  
rem præsentis sæculi*, ex quo oritur *hor-  
ror futuri.* Ita D. Thom. 2. 2. q. 153.  
art. 5.

26. Præter octo enumeratas luxurie  
filias, alias quatuor externas assignat An-  
Tom. I.

### Cap. II. De vitiis castitati oppositis.

gel. D. *turpiloquium, scurrilia, lubri-  
ca, & stultiloquia.* Quia lingua luxurio-  
si in primis ex abundantia cordis loqui-  
tur *turpia*: deinde in verba, aut facta  
levia, seu *scurrilia* prorumpit: exia-  
de in omnibus voluptatem quærens ver-  
ba *lubrica* sæpe pronuntiat: tandem cum  
mens ex libidine obcæcata in sententias  
exiliat, inde *stultiloquium* effundit.

27. Inq. 4. Quot sint species luxurie?  
R. esse septem, *fornicatio simplex, ad-  
ulterium, incestus, stuprum, raptus, vi-  
tium contra naturam, & sacrilegium.*  
Aliæ possunt dari species luxurie secun-  
dam quid, & ab extrinseco: ut si ex  
solo motivo delectationis cognoscat con-  
jugatus uxorem, & similes, quæ plerum-  
que sunt veniales. Enumeratæ vero sunt  
simpliciter species luxurie constituentes  
ex se peccatum mortale; quia graviter,  
& peculiari modo rationi opponuntur.

28. Inq. 5. An omnes præfatæ species  
distinguantur essentialiter intra genus lu-  
xurie? R. neg. Nam solum fornicatio  
simplex, pollutio, sodomia, & bestia-  
litas sunt species intra genus luxurie di-  
stinctæ essentialiter; reliquæ vero, nempe  
adulterium, incestus, stuprum, &  
raptus accidentaliter: quia addunt spe-  
ciem accidentalem contra justitiam, pie-  
tatem, aut religionem. Quæstio hæc sa-  
tis prolixè discutitur ab aliis; sed reve-  
ra plus ad scholasticos, quam ad mo-  
res pertinet: sufficit his scire adul-  
terium, incestum, raptum, & sacrile-  
gium duplicem habere malitiæ speciem,  
sive essentialem, sive accidentalem in  
confessione aperendam Vid. D. Thom.  
2. 2. q. 153. a. 6. 7. 8. &c.

### P У Н К Т У М II.

#### De simplici fornicatione.

29. Inq. 1. Quid sit fornicatio simplex?  
R. est *concupitus humanus naturalis solu-  
ti cum soluta.* Dicitur *concupitus huma-  
nus*, ut distinguatur a concubitu irra-  
tionalium, qui fornicatio dici non va-  
let: additur *naturalis*, ut differat a pec-  
catis contra naturam. Denique ponitur *so-  
luti cum soluta* ad significandum, quod  
uterque debet esse liber a vinculo matri-  
monii, & alterius cujusque circumstan-  
tia

titæ extrahentis concubitus a natura simplicis fornicationis. Unde si fuerit cum virgine, jam non erit fornicatio simplex, sed stuprum, & sic de reliquis. Sumitur enim in præsentem fornicatio, non lato modo, ut pro idololatria, aut quocumque concubito, ut in 1. ad Corinth. cap. 5. dicitur fornicatio concubitus cum uxore patris; sed proprie, ut est prima species luxuriæ, & nullam aliam includit malitiam. Concubitus Christiani cum gentili, aut judæa non est fornicatio simplex, sed pertinet ad speciem sacrilegii, violatur quippe reverentia debita baptismo, & religioni Christianæ, ex qua ratione positum est ab Ecclesia impedimentum matrimonii *culus disparitas*. Unde accessus baptizati ad non baptizatum, vel contra est peccatum specie distinctum a simplici fornicatione.

30. Inq. 2. An fornicatio simplex sit jure naturæ graviter prohibita? R. affirm. quia concubitus ex se oppositus educationi, & instructioni prolis est graviter prohibitus jure naturæ; sed fornicatio simplex est hujusmodi, cum sit inter solutos ab obligatione perpetuo cohabitandi ad procurandam prolis educationem, & raro, aut per accidens tantum sic genti debite instruantur: ergo est graviter prohibitus jure naturæ. D. Thom. in *supplem.* q. 65. a. 4.

31. Dices: ergo si quis dives, aut præpotens accederet ad solutam animo, & intentione sufficienter providendi proli, non ageret saltem graviter contra jus naturæ, siquidem deficeret tunc motum prohibitionis.

32. R. neg. conseq. in præfato enim casu aut alio simili daretur per accidens bona educatio: natura autem non attendit ad id, quod per accidens evenit, sed ad id, quod per se accidit. Porro fornicatio simplex ex se est concubitus non ordinatus ad bonam educationem prolis, cum fiat inter personas, quæ separari debeat ab invicem. Neque finis legis naturalis defigere valet in communi; esto per accidens deficeret possit aliquando in particulari, idcirco semper obligat. Ita D. Thom. 2. 2. q. 154. art. 2. ad 3.

33. Aliqui probant hanc veritatem ex damnatione hujus propositionis 48. ab

Idaac. XI. proscriptæ: *Tam clarum videtur fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, & solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium rationi dissonum videatur.* Sed esto justissime thesis hæc damnata sit ab Ecclesia, quia ut minimum est summe audax, & omnino falsa, tamen ex illa non probatur directe, quod fornicatio simplex sit jure naturæ graviter prohibita, ut eam perpendenti facile apparebit.

34. Inq. 3. An sit de fide fornicationem simplicem esse peccatum mortale? R. affirm. quia prohibetur a Deo in 6. Decalogi præcepto. Deinde prohibetur ab Apostolo 1. ad Corinth. 5. *Ne commisceamini fornicariis*, & cap. 6. *Fugite fornicationem*, & alibi sæpe. Præterea prohibetur jure canonico sub gravibus poenis.

35. Inq. 4. An fornicatio simplex sit gravius peccatum, quam furtum? R. affirm. quia furtum est contra bona externa proximi, fornicatio vero simplex contra ipsum proximum, nempe ejus educationem, & instructionem, qua præstat bonis fortunæ. Igitur simplex fornicatio gravius culpa est, quam furtum, levius tamen peccatum illis, quæ directe tendunt contra Deum, aut vitam hominis jam nati: quia priora opponuntur virtutibus theologis; posteriora majus bonum lædunt, quam fornicatio simplex, quæ solum hominis nascituri vitam lædit.

36. Objic. peccatum eo est gravius, quo præstantiori opponitur virtuti; sed furtum opponitur justitiæ, quæ præstantior virtus est, quam castitas: ergo furtum gravius peccatum est, quam fornicatio simplex. R. quod fornicatio simplex taliter opponitur directe castitati, ut indirecte opponatur etiam justitiæ; nam talem inordinationem præsertim intra genus luxuriæ, ut ex se inferat damnum proli nascituræ. Igitur gravius peccatum est, quam furtum: quia major illogismi tunc est vera, quando peccata contra inferiorem virtutem non includunt simul oppositionem contra virtutem superiorem: cujus oppositum evenit in præsentem, cum peccatum contra castitatem includat simul oppositionem contra justitiam. Ita D. Thom. *ibi art.* 3.

## PUNCTUM III.

## De concubinato.

37. Inq. 1. Quid intelligatur nomine *concubina* in præsentem? R. nomen concubine dupliciter sumi posse: nam aliquando sumitur pro conjuge ducta absque dote, & solemnitate nuptiali, unice ad filios procreandos, & non ad regimen familiæ, & domus; ad differentiam uxoris, quæ tum ad thalamum, tum ad regendam domum, & familiam ducebatur. In hoc sensu Abraham, Jacob, David, & alii Patriarchæ veteris legis concubinas habuisse dicuntur. In hoc eodem sensu jus civile unam concubinam permittit. Cæterum in præsentem non est sermo de hujusmodi concubinis, sed de pellice, aut femina soluta, & corrupta ut infra magis patebit. Vide Bened. XIV. de *Synod. Diæces. lib.* 9. cap. 12. a num. 2.

38. Inq. 2. In quo differat concubinitus a fornicatione? R. differre in eo, quod concubinitus est frequens, & continuata fornicatio cum determinata femina, quæ tanquam uxor habetur sive soluta, sive conjugata, aut alio vinculo ligata. Quapropter concubinitus divagari valet per omnes species luxuriæ; fornicatio vero tantum est concubitus cum soluta modo hac, modo alia. Unde concubinitus valde distinguitur a fornicatione simplici, & est gravius peccatum illa, aut adulterio, cum præter speciem peccati, per quam divagatur, addat continuationem aliorum, quæ augent ejus gravitatem. Sed quia concubinitus exercetur communiter inter solutos, ad fornicationem simplicem reducitur.

39. Inq. 3. Quid sit concubinitus jure canonico? Est *concubitus viri cum femina soluta, quam quis vel in domo propria, vel extra retinet, & ad quam frequenter, vel ex consuetudine accedit.* Unde vir sive solutus, sive conjugatus, sive clericus retinens domi, vel extra foeminam solutam, ad quam ex consuetudine accedit, vere concubiniarius est. Gravitatis hujus peccati constat ex eo, quod concubiniarius semper est in statu peccati mortalis, & in proximo periculo su-

damnationis: quapropter gravibus poenis punitur a Trid. *sess.* 25. de *reform. cap.* 14.

40. Inq. 4. An aliquando absolvendus sit concubiniarius, quia prius dimittat concubinam? R. nunquam esse absolvendum, nisi prius, cum possit, eam reipsa dimittat: quia vel concubiniarius est publicus, vel occultus, si est publicus, debet publice constare de sua pœnitentia, antequam absolvatur. Si occultus, est in continuo peccato, quantumcumque proponat dimissionem, indignusque absolutionis; ergo nunquam est absolvendus, nisi prius, dum possit, eam reipsa dimittat. Nec valet confugium ad scandalum; quia prætextu vitandi scandala majora foventur. Igitur nisi urgeat periculum mortis, vel aliud impedimentum physicum, non potest absolvi concubiniarius absque reali expulsionem concubine.

41. Huic doctrinæ conformis est damnatio prop. 41. ab Alexandro VII. *Non est obligandus concubiniarius ad ejectionem concubine, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubiniarii, vulgo regalo, dum deficiente illa, nimis egre ageret vitam, & alia epule tedio magno concubiniarium afficerent, & alia famula nimis difficile inveniretur.*

42. Inq. 5. An saltem quando concubiniarius accedit magno profluvi, copiosis lacrymis, firmo proposito concepto ex improvisa amici morte, aliquave eoncione terribili, vel etiam ex exercitiis habitis in aliquo monasterio, possit absolvi, antequam concubinam emittat? R. negat. quia si vere est contritus, exolat prius peccatorum radicem, & deinde curet absolutionem humiliter consequi. Projiciat foras occasionem, & tunc ad confessionem vadat, ut secundum prudentiam, & æquitatem videat, & judicet, quid faciendum est. Experientiam docet, quod multoties hujusmodi suspensio, & lachrymæ, maxime in mulieribus, ficta sunt, & sæpe post absolutionem obtentam ad vomitum redeunt. Vid. dicenda *tract.* 27. n. 298.

## PUNCTUM IV.

Alia dubia circa absolutionem concubinarum.

43. Inq. 1. An aliquando possit absolvi filius familias, qui domi concubinam, vel occasionem peccandi habet? R. cum similibus procedendum esse eo modo, quo infra tract. 27. n. 298. de consuetudinariis dicemus in ordine ad absolutionem. Ministri Sacramenti poenitentiae præ oculis habeant, & mente sæpe sæpius evolvant illud effatum Sanctorum virorum: *quid Ecclesiam Dei hodie perdit, nisi Confessariorum blandiens adulatio, delinens, demulcensque assentatio? Non esset tanta facilitas peccandi, si non esset tanta facilitas absolvendi.* Non sint ergo faciles ad beneficium absolutionis cum his, quorum difficilis est perseverantia in bono, vel proposito. Adhibeant remedia, priusquam sententiam ferant. Sciant nullam esse medicinam efficaciorum, quam suspensionem absolutionis. Hoc fulmine contremiscunt vitia, ac fugantur peccata.

44. Inq. 2. Quomodo se gerere debeat Confessarius cum similibus poenitentibus, qui in quadagesima, vel pro ordinibus recipiendis ad exercitia spiritualia se confugiunt? R. Bened. XIV. Synodo Dioces. lib. 11. cap. 2. n. 18. ita se explicare: *Quoniam vero ejusmodi casus facilius se offerre possunt in audiendis eorum confessionibus, qui jam in domum exercitiis spiritualibus destinatum, statutis temporibus se receperunt, ut sacris ordinibus in proxima ordinatione iniciantur; atque in his circumstantiis ad ceteras difficultates accedit infamiae metus, quam poenitentia subeundam sibi fore asserit, si in ea ordinatione non amplius promoveatur, tunc necesse erit (neque id sane prudenti Confessario admodum difficile esse poterit) hujusmodi ordinando ante oculos ponere, non modo eternam salutem, quovis humano respectu potiorum esse debere, verum etiam nihil infamiae in eo esse, si quis dicat, & fateatur velle se maturius cogitare de ineundo hujusmodi vitae instituto, quod*

*graviora secum ferat onera, quodque semel susceptum, per omnem vitam necessario servandum erit.* Hucusque Pontifex, ex quibus infertur doctrina pro omnibus, qui in occasione proxima, est involuntaria, vel pessima consuetudine versantur, & ad aliquam domum pro exercitiis spiritualibus se confugiunt, ut absolutionem consequantur, in cautos Confessarios decipiendo, experientia teste.

45. Inq. 3. An femina pauper, quæ ab hero, sive consanguineo, quibus inservit, sustentatur, possit absolvi, antequam recedat, si eorum pellex, aut concubina efficiatur? R. neg. nam qui amat occasionem proximam peccati, vult ipsum peccatum, indignusque est absolutionis; sed femina, quæ potest, & non dimittit occasionem proximam peccati, illam vult, & amat: ergo nequit absolvi, quin prius recedat. Verum si scandalum, aut infamia reipsa ex discessu sequeretur, tunc Confessarius cum illa se gerat eodem modo, ac cum filio familias, præscribens ei opportuna remedia ad emendam; si autem hæc non appareat, absolutionem denegare debet, donec reipsa ab occasione recedat.

46. Idem est tenendum de concubina, quæ post dimissionem aliquando visitat concubinarium agrotantem, omnino enim repellenda est a conspectu ægroti, & etiam a sacramentis recipiendis, si non proponat firmissimum recessum. Similiter non est absolvendus concubinarium, qui domum concubinæ dimissæ ingreditur vel pro elemosyna faciendâ, vel alio pio opere exercendo, si ex tali ingressu nova peccata sequantur: quia voluntarie querit occasionem eorum. Imo esto aliquando non sequantur, semper timendum est, ne lateat anguis sub herba, amputandaque radix, & occcludenda janua, quoties peccatis aperta fuit.

47. Inq. 4. An sint absolvendi exercentes artes honestas reipublicæ necessarias, si eis fuerit occasio proxima peccandi? R. avaritiam esse omnium malorum radicem teste Apostolo, concupiscentiamque corrumpere totam massam generis humani, proindeque in pluribus officialibus reipublicæ abundare usuram, dolum, & mendaciam, in aliis flam-

mam sensualitatis dominari, sicque innumeri versantur in proximo periculo peccandi; quapropter cum timore, & tremore pius Confessarius procedat, neque eos absolvat, nisi præmissis experimentis, super illorum conversionis firmitate, ut dictum est.

48. Idem est dicendum de hospita, quæ quoties aliquem determinatum, vel alios indiscriminatim excipit, cum illis involvitur; eique dicatur, quod vel corrigatur a sua fragilitate, vel officium deserat. *Quid enim prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur: Matth. 16.* Timeant ergo ministri Dei, ne sanguis poenitentium e manibus eorum exquiratur, & ne ipsi eorum peccatis participes fiant, ut patres Tridentini lacrimantes scripserunt.

49. Hac eadem ratione non est absolvendus avarus, qui non dimittit concubinam prætextu amittendi centum aureos, vel quid simile, si illam expellat. Aut e contra ipsa concubina nolit recedere, ne amittat aliquod emolumentum temporale: quia occasio proxima peccandi vitanda est, quocumque lucro temporali proposito.

## PUNCTUM V.

De pœnis contra concubinarium impositis.

50. Inq. 1. Quæ pœnæ sint contra concubinarium impositæ? R. quod in Trident. sess. 24. cap. 8. de reform. matrim. decernitur, concubinarium laicos, si ter admoniti ab Ordinario concubinas non repulerint, excommunicatione esse plecendos. Si autem per annum in concubinato, censuris neglectis, permanserint, contra eos ab Ordinario, pro criminis qualitate, severe procedendum præcipit.

51. Deinde idem Concilium sess. 25. cap. 14. de reform. contra clericos concubinarium sequentia decernit. 1. Prohibentur clerici habere concubinas sub pœnis a jure canonico statutis. 2. Si admoniti, non se abstinuerint ab hoc crimine, privantur tertia parte fructuum, & proventuum suorum beneficiorum, Ecclesiarum, atque pio loco applicanda. 3. Si secundæ monitioni non paruerint, ultra dicta, amittant pensiones, & priventur

Tom. I.

beneficiorum administratione. 4. Si ita suspensi, adhuc retinent concubinas, perpetuo privantur beneficiis, portionibus, officiis, pensionibus, & manent inhabiles ad alia in posterum obtinenda. 5. Si post hæc adhuc eas non dimiserint, aut ad alias foeminas scandalosas, se diverterint, excommunicatione plectantur. 6. Denique si forte Episcopi concubinarium fuerint, a Synodo quæ Provinciali admuniti, non respiscant, ipso facto sunt suspensi. Et si dicto crimine adhuc perseverant, debent coram summo Præsule denuntiari. Nullibi sacrum Concilium mitti, & benignius vidimus.

52. Nominè clerici intelliguntur hoc loco omnes clerici aliquo ordine insigniti, qui se divino cultui addixerunt, & Ecclesiarum ministri sunt, licet in sacris non sint initiati. Verum clericus, qui post dimissionem concubinæ, cum altera foemina se commiscet, non comprehenditur, nec privandus est fructibus: quia Concilium expresse de concubinarium loquitur.

53. Crimen concubinatuum est mixti fori, ideoque puniri potest a iudice ecclesiastico, vel sæculari; imo postquam poenitus est a sæculari, puniri valet ab ecclesiastico, vel contra, propter diversitatem, ad quem uterque iudex respicit. Ecclesiasticus procedit ad correctionem ratione finis spiritualis, sæcularis ratione finis temporalis.

54. Inq. 2. An clerici concubinarium publici sint hodie ab officio, & beneficio suspensi, ita ut si celebrent, incurrant irregularitatem, sicut antiquitus ipso jure videbantur esse suspensi, & irregularitatem celebrando incurere? R. neg. quia cum Tridentinum aperte disponat, quod si secundæ monitioni non paruerint, ab Episcopo suspendantur, signum est non esse ipso facto suspensos. Verumtamen lumen ipsum naturale exposcit eorum severam suspensionem: horret enim natura videre homines adeo criminosos, ac detestabiles ministros Ecclesiarum, sacrisque altaribus deservientes. Deo, optimo, maximo gratias agimus, quod nullibi eos viderimus.

Bbbbb

PUN.

## PUNCTUM VI.

## De meretricibus.

55. Inq. 1. Quæ fœmina dicantur meretrices? R. quod meretrix, sive dicatur a *mercede*, seu *mercatura* sui corporis, est quæ multorum libidini patet. Vel illa, *cujus venalis est turpitudine*. Quod in veriori sententia tunc salvatur, quando fœmina pluribus, quam duobus, se palam prostituit, sive quæstus, sive libidinis, sive amoris gratia, eaque vere meretrix appellatur. Alii plus exigunt.

56. Inq. 2. An meretrices absolvi possint? R. neg. donec sufficienti experientia constet esse omnino emendatas, nisi in articulo mortis: quia sunt in continuo peccato mortali. Teneantur tamen ipsæ ad annuam confessionem, & communionem: ita ut secus facientes incurrant pœnas in jure positas, & in excommunicationem, quæ in aliquibus Diocesisibus imposita est contra omittentes confessionem, & communionem paschalem: quia hæc lex obligat omnes fideles adultos absque exceptione.

57. Inq. 2. Cujus speciei peccatum committant meretrices? R. committere peccatum fornicationis, & scandalum. Deinde cætera omnia, ad quæ sunt parata: quia earum intentio est universalis comprehendens omnes species luxuriæ. Nota tamen, quod si meretrix potest explicare numerum, & species peccatorum, ad hoc tenetur, ut constat ex Tridentino; non enim sufficit generaliter dicere, se omni venienti soluto, uxorato, Clerico &c. fuisse expositam. Si autem meretrix valeat recordari saltem de principalioribus speciebus culpæ, & de numero plus, minusve, distincte se accusare debet, prout melius poterit. Verum in articulo mortis, si morbus, aut tempus amplius non permittant, sufficit, quod generaliter se accuset, ut absolutio ei impertiatur.

58. Extra articulum autem mortis, esto illicitum sit meretrices absolvere, quamdiu sui criminis serio non poeniteant, & a tam misero statu penitus non recedant; tamen Parochi, & Confessarii de-

bent eas ad confessionem hortari, invitare, & admittere. Ad sacram autem communionem publicam non sunt admittendæ meretrices, esto a peccando abstineant, & a domo prostibuli recedant, donec publice constet de earum poenitentia, ne alii fideles inde scandalum patiantur.

59. Inq. 4. An meretrices possint in loco sacro sepeliri? R. quod decedentes absque poenitentia sepeliendæ sunt in loco profano *ex cap. Quibus*. Si autem in infirmitate poenitentiam egerint, & abolutionem obtinuerint, debent in Ecclesia sepeliri. Si vero tempore morbi signa poenitentia dederint, & per eas non stetit, quominus confessionem facerent; tunc arbitrio Episcopi, vel ad terrorem aliorum in loco profano, vel ex commiseratione in sacro sepeliri poterunt. Vel tandem media via procedendo, in cæmeterio sine honore, & clero tumulari valebunt. Addendum hic est, esse prorsus a ratione alienum, exigere a meretricibus tributum ex iniquo meretricio collectum, ut ex se satis patet.

60. Inq. 5. An patroni, seu patres meretricum licite permitti possint? R. patronos earum dici, quibus publica auctoritate meretricum cura demandata est, ut eas defendant, & saluti prospiciant, ne alios perdant. Unde supposita harum mulierum permissione, licitum est tales homines permitti: quia eorum officium ad bonum reipublicæ ordinatur. Caute tamen in officio se gerere debent, ne cooperatorum, aut induciores ad meretricandam perperam, & cum scandalo videantur, aut sint.

61. Inq. 6. An lenones sint in peccato mortali? R. 1. *lenones* proprie dicuntur viri, qui quæstus gratia proprias, vel alienas fœminas prostituunt. Similiter *lenæ* appellantur mulieres, quæ blandis verbis inducunt alios ad fornicationem, & stupra; sumpta significatione a verbo *allicio*, quod significat aliquem blandis verbis, & fallaciis atrahere. Hinc R. 2. omnes lenones, & lenas, quamdiu a suo vilissimo officio non desistunt, esse in peccato mortali, committereque peccata ejusdem speciei, ad quæ inducunt. Et insuper esse reos omnium peccatorum, quæ ex prava sua inductione sequuntur: quia

quia sunt causa moralis eorum: erg. rei, & participes eorum. Quapropter minime possunt absolvi, donec a lenocinio recedant, & de eo serio poeniteant.

62. R. 3. Omnes lenones, & maxime parentes proprias filias prostituentes, amittunt patriam potestatem, & poena mortis plectuntur. *ex leg. si lenones, cap. de Episcop. audent*. Similiter mariti, qui uxores prostituunt, ultimo supplicio ex jure puniuntur. Verum juris rigorem fuisse aliquando mitigatum in poenam investigationis, seu ductionis super asinum, facie versa ad caudam asini, & uxore asinum per manum trahente, testantur aliqui.

## PUNCTUM VII.

## De Impudicitia.

63. Inq. 1. Quid sit impudicitia? R. quod impudicitia est nomen genericum significans peccata sive interna, sive externa luxuriæ non consumata. Præcipue tamen significat peccata externa, ut aspectus turpes, verba obscena, tactus, oscula, amplexus, gestusque impudicos, & similia, ut ait D. Thom. 2. 2. q. 154. art. 1. ad 5.

64. Inq. 2. An aspectus mulierum respectu virorum, aut e contra sit licitus? R. 1. quod aspicere mulierem sive deformem, sive pulchram urbanitatis, societatis civilis, aut necessitatis gratia, licitum est: quia licita est conversatio civilis, quæ dari non valet absque reciproco aspectu virorum, & mulierum. Nec adest culpa in eo, quod fœmina pulchra libentius aspiatur, quam deformis: quia pulchritudo creata est a Deo, & natura sua oblectat visum præ deformitate, ob majorem proportionem objecti cum potentia. Si autem inquiras, an motus sensualis excitatus ex aspectu fœminæ sit peccatum? R. hoc pendere ex variis circumstantiis; quia si aspectus est innocens, & motus nullo modo sit volutus, & adsit resistèntia debita, non adest peccatum, sed meritum. Esto enim aliqui dicant, quod omnis tentatio carnalis est saltem peccatum veniale: nos oppositum verius putamus. Aliud est, quod regulariter ita accidat ex fragilitate naturæ vitiatæ; aliud quod semper ita

contingat. Hoc secundum negamus, & credimus plures sanctos ejusmodi tentationibus ra iter resistisse, ut nullam culpam, sed completam victoriam reportarint. Igitur, adstante debita resistèntia, tentatio carnis non est peccatum, ut docet Angelicus. 1. 2. q. 80. art. 3. ad 3.

65. R. 2. quod aspectus diuturnus, aut curiosus mulieris valde pulchræ, aut nimis ornatae potest esse mortale ratione periculi: ut fuit in David, & aliis, qui per mulierum visum, ascendente morte per fenestras, in peccata ruerunt. Quare si non vis perire, sume monitum Eccles. 25. 28. *Ne respicias in mulieris speciem, & non concupiscas mulierem in specie*. Cura imitari cautelam dicentis: *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitatem quidem de virgine*. Job. 31. 1.

66. R. 3. quod aspectus mulieris, esto instantaneus, ex prava intentione venerea est mortalis. Constat *ex cap. 5. 28. Matthi*. Ubi inquit Christus D. Ego autem dico vobis, quia omnis, qui videbit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo. Hoc est, peccavit graviter peccato desiderii turpis; quia aspicere mulierem ex fine lascivendi est intrinsece malum, & contra nonum Decalogi præceptum, in quo turpia desideria prohibentur.

67. Inq. 3. An aspectus membrorum turpium sive viri, sive mulieris sit mortalis? R. 1. Esse peccatum mortale, aspicere deliberate verenda mulieris. Idem est de muliere respectu viri: quia hæc, ut pote valde turpia, graviter ex natura sua ad libidinem provocant. Si autem aspectus sit fortuitus, & indeliberatus, aut ex necessitate curationis, potest esse immunis a culpa. Etiam est lethale consulto aspicere concubitus viri cum fœmina; & etiam hujus verenda, ita subtilibus oblecta, ut fere pateant: quia graviter provocant, & forte plus, ac si prorsus paterent. Infantilis fœminæ partes transeanter aspicere, non reputatur grave; licet puritatis amator effugere debet omne, quod castitatis candorem obnubilet. Similiter, ejusdem sexus nudas personas aspicere, ut quando pueri natant, ex se peccatum grave non est. Et licet P. Concina idem dicat de hominibus natantibus; tamen dis-

distinguere oportet de personis : aliquibus enim ob peculiarem statum, & conditionem valde indecens est omnimoda nuditas, etiam dum solus est. Quid sociatus ?

68. R. 2. quod aspiciere partes, quæ natura sua parum excitant libidinem, non est ex se lethale : quia non præferunt gravem inhonestatem, neque periculum proximum relabendi : Ut videre brachia, aut pedes mulieris : idem est de pudendis, etiam commotis, animalium, & de coitu eorum. Similiter ajunt plures, quod aspiciere propria pudenda ex levitate, aut curiositate, absque periculo consensus, non est mortale; verum tamen putamus nimiam esse hujusmodi levitatem, & periculo expositam; præcipue quando aspectus esset omnino deliberatus, aut repetitus : tunc enim vix potest a culpa gravi excusari. Omnes aspectus puritatem offendentes vitandi sunt; nam, qui illis oblectatur, indicat non multum obscena abhorreere. Quod dictum est de aspectu personarum, intelligitur etiam sua proportione de aspectu imaginum.

## PUNCTUM VIII.

## De turpiloquio.

69. Inq. 1. An sit peccatum grave turpia verba proferre ? R. 1. quod si verba sint valde turpia, ut de pudendis viri, aut foeminae, de modis coitus, aut similibus, sunt mortalia; maxime si proferantur coram juvenibus, puellis, aut virginibus honestis; quia talia verba ex se in audientibus scandalum generant, valdeque ad venerem excitant, maxime debiles, ut sunt puellæ, & adolescentes, qui facilius ad hæc excitantur,

70. R. 2. quod proferre aliquod verbum non adeo turpe ob solam vanitatem, aut levitatem, si fiat raro, & sine periculo ex parte dicentis, & audientis, non reputatur mortale: quia parum ex se ad venerem allicit. Tamen in hac lubrica materia omni cautela est procedendum, inspiciendæque circumstantiæ loquentis, & audientis. Verum enim, quod in ore unius est leve, in altero erit grave. Similiter quod prolatum coram discretis fortasse erit veniale, coram fœ-

minis, & pusillis evadet lethale.

71. Inq. 2. An sit peccatum mortale quidam conversandi modus, plus æquo venustus, sive inter viros, sive inter feminas simul commorantes, ubi referuntur obscæna schomata, turpes fabellæ, impura dicteria, aut facta, seu eventus venerei enarrantur ? R. quod esto aliqui a mortali excusent agasones, muliones, similisque fursuris homines turpissima frequenter in alios sibi obvios evomentes: minime tamen sunt excusanda a gravi culpa impudicitæ, & scandali; præcipue quando deliberate proferuntur, corrumpunt enim bonos mores eloquia prava, & ejusmodi verbis corda, atque etiam aërem inficiunt, audientes obscæna docent, suamque affectionem ad venerem ostendunt. Quare absolvendi non sunt, nisi omnimodam emendam spondeant. Idem de illis, qui apud alios se laudant de obscenis a se perpetratis: quia narratio hæc adstantes ad similia provocat, approbationem, & complacentiam actualem de præteritis indicat. Unum, aut alterum verbum obscenum per transennam joci, aut levitatis gratia prolatum, lethale non reputatur.

72. Inq. 3. An canere, aut scribere turpia, grave peccatum sit ? R. quod hoc pendet ex natura eorum, quæ canuntur, & scribuntur, & ex circumstantiis, quæ occurrere solent. Si enim sunt manifeste turpia, a gravi excusari nequeunt, quia graviter ex se audientes, aut legentes offendunt. Si autem aperte turpia non sint, & fiant absque periculo proprio, vel alieno, causa solius vanæ lætitiæ, aut levitatis, venialia reputantur.

73. Inq. 4. An colloquia familiaria alias honesta, cum foeminis sint licita ? R. 1. quod talia colloquia aliquando non solum sunt licita, sed etiam laudabilia, quia pluries sunt necessaria ad earum consilium, & directionem, sive civilem, sive spiritualementem. Si excedatur aliquantum in mora, aut verbis non necessariis, ex hac parte erunt venialiter illicita: quia omnis excessus inficit opera, & verba, alias bona, juxta quantitatem excessus.

74. R. 2. quod colloquia, licet honesta, cum foeminis nimis familiaria, & continua, aut diuturna, ratione periculi

sæpe sunt mortalia. Hoc manifeste est verum in pluribus colloquiis hujus temporis inter viros, & foeminas habentes suos venustulos, aut pulitulos, cum eisque reciprocam, & assiduam conversationem, esto se fallant, nullam in se sentire perniciem veneris agentes, cum ejus igne intrinsecus se comburant. Omnes isti, & istæ continuo peccato lasciviæ, & scandali persistunt; quia continua flamma sensuali adurantur.

75. Non solum reprobanda sunt colloquia familiaria cum foeminis lascivientibus, sed etiam cum honestis, & pudicis; imo & cum mortalibus, si frequentia, & diuturna sint: nam esto eorum principium, & motivum videatur esse purum; frequens tamen familiaritas paulatim illud inficit, in carnealemque degenerat: ut egregie depingit D. Thom. vel author opusculi 64. De familiaritate domin. & foeminar. Ubi hujusmodi colloquia his verbis improbat: Et quoniam spiritualibus loquitur propter quos ista scribuntur: noverint ipsi, quod licet carnalis affectio sit omnibus periculosa, & damnosa; ipsi tamen magis perniciose, quando conversantur cum persona, quæ spiritualis videtur. Nam quamvis horum principium videatur esse purum, frequens tamen familiaritas domesticum est periculum, delectabile detrimentum, & malum occultum bono colore depictum.

## PUNCTUM IX.

## De oculis, &amp; aliis tactibus impuris.

76. Inq. 1. An oscula, amplexus, & alii hujusmodi tactus sint peccata? R. 1. Prædicta ob triplex motivum exerceri posse. 1. In signum amicitiae, ob consuetudinem patriæ, vel ob urgentem necessitatem. 2. ob delectationem carnalem, & venerem. 3. ob solam delectationem sensitivam, aut naturalem tactus, in quantum sunt objectum proportionatum tangibile. Hinc.

77. R. 2. quod oscula, & amplexus inter homines ex genere suo licita sunt: alias nunquam liceret amplecti patrem, fratrem, aut alium cognatum, quod non est verum. Osculum, amplexus, & tactus secundum suam rationem non ne-

minant peccatum mortale. Possunt enim hæc absque libidine fieri, vel propter consuetudinem patriæ, vel propter aliquam necessitatem ait D. Thom. 2. 2. q. 154. a. 4.

78. R. 3. quod oscula, & amplexus inter virum, & foeminam juxta morem patriæ, ad ostendam amicitiam, mutuaque benevolentiam, etiam sunt licita, & honesta: quia solum testificatio quædam sunt amicitiae, & benevolentiae. Servanda tamen est decencia, & decor personarum: quapropter clericis, aut religiosis non decet hujusmodi osculis manifestare amicitiam, maxime foeminis, aut juvenibus valde decoris, ad vitandum scandalum, quod inde oriri posset: imo mos iste, si alicubi obtineat inter viros, & mulieres, omnino abolendus esset, propter periculum peccandi.

79. R. 4. ratione necessitatis, causa curationis, aut inspectionis necessariae, licitum est peritis muliebria tangere: quia talis contactus conformis est rationi, quæ jubet, ut permittitur curari omnes partes corporis infirmi; quod fieri nequit sine inspectione, & tactu. Verum tamen foeminae honestæ, aut virgines pudicæ non tenentur hujusmodi curationem a viris peragendam in partibus secretioribus admittere: possunt enim ex motivo virtutis se prius sinere mori, ut diximus tract. præc. num. 100.

80. Inq. 2. An oscula, & amplexus habita ob delectationem carnalem sint peccata mortalia, etiam absque periculo ulterioris consensus? Ante responsionem notandum est, quod delectatio de re turpi potest esse triplex, nempe venerea, carnalis, vel sensibilis, & naturalis. Prima est delectatio in carne consurgens ex motu humoris serosi, qualis est seminis, & incallescens per commotionem spiritum deservientium generationi. Ita Galen. lib. 14. de usu part. cap. 9. Delectatio sensibilis, seu carnalis est, quæ oritur ex tactu corporis, & motivo sensuali, & non requirit commotionem carnis, esto communiter illam ingerat. Delectatio naturalis est, quæ oritur ex conformitate rei tactæ cum organo, qualis est delectatio orta ex tactu rei blandæ, & mollis. Idem patet